

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8446

Auteur(s) : Innocent III [pape]

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1202, 30 octobre

Lieu d'émission : Latran

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Bulle d'Innocent III, pape, qui excommunie ceux qui troubleront les religieux de la Trappe dans la possession de leurs privilèges et immunités de leurs dixmes.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, Appendix, n° V, p. 590-592.

Dissertation critique

H. de Charencey propose « 1203 ».

Texte établi d'après a

INNOCENTIUS, Episcopus, Servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Rothomagensi et suffraganeis ejus et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, et aliis Ecclesiarum Prælatibus in eorum Episcopatibus constitutis salutem et apostolicam benedictionem.

Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri religiosi et hii maxime qui per Sedis Apostolicæ Privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas. Et dum vix invenitur qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat.

Specialiter autem dilecti fillii abbas et conventus de Trapa Cisterciensis Ordinis, tam de frequentibus injuriis quam de vestro cotidiano defectu justitiæ conquirentes, universitatem vestram litteris petierunt Apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis quas sustinent et pressuris, vestro possint præsidio respirare.

Ideoque universitati vestræ, per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatinus illos qui possessiones, vel res seu domos prædictorum fratrum vel hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint quæ prædictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos fratres contra Apostolicæ Sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti præsumpserint promulgare, vel decimas laborum seu nutrimentorum ipsorum spretis Apostolicæ Sedis privilegiis extorquere, ammonitione præmissa, si laici fuerint publice candelis

accensis excommunicationis sententia percellatis. Si vero clerici vel canonici regulares seu Monachi fuerint, eos, appellatione remota, ab Officio et Beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec prædictis fratribus plenarie satisfaciant, et tam laici quam clerici sæculares qui pro violenta manuum injectione anathematis vinculo fuerint innodati, cum diocesani Episcopi litteris ad Sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. De Monachis vero et canonicis regularibus id servetur, ut si ejusdem claustrum fratres manus in se ejecerint violentas per Abbatem proprium. Si vero unius claustrum frater in fratrem alterius claustrum hujusmodi præsumserit violentiam exercere ; per injuriam passi et inferentis Abbates absolutionis beneficium assequantur, etiamsi eorum aliquis priusquam habitum reciperent regularem, tale aliquid commiserunt: propter quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrissent, nisi excessus ipsorum esset difficilis et enormis, utpote si esset ad mutilationem membri vel sanguinis effusionem processum, aut violenta manus in Episcopum vel Abbatem injecta, cum excessus tales et similes sine scandalo nequeant præteriri.

Si vero in clericos seculares manus injecerint, pro vitando scandalo mittantur ad Sedem apostolicam absolvendi ; villas autem in quibus bona prædictorum fratrum vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quamdiu ibi sunt interdicti sententiam supponatis.

Datum Laterani, III° Kal. novemb. Pontificatus nostri anno quinto.